24

DE

HYDROPHOBIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIII. M. JUNII A. MDCCCXLIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

GUILELMUS MUELLER
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

B. DAMM, med. et chir. Dr.
F. STRAETER, med. et chir. Dd.
A. NUEBEL, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

PROOEMIUM.

Supervacaneum non plane mihi videtur, nonnulla verba facere de fine, quem secutus huncce libellum in lucem protulerim. Imprimis quidem Hydrophobiam thema dissertationis elegi, quum non solum morbus sit gravissimus, sed etiam de eodem inter viros doctissimos experientissimosque magnum exstiterit certamen; itaque res praecipue digna visa est, de qua conscriberem dissertationem. Attamen dixerit quispiam, ubi virorum, qui hanc rem tractaverint, celebritatem respexerit atque auctoritatem, temerarie illud audaciusque a me susceptum, tironisque opusculum de tali gravissimaque re superfluum videri. Ad dissensionem vero, quae fuit inde ab omni tempore inter tot tantosque viros, ut Hufeland, Mederer, Haase, Rust, Berndt, dirimendam minime vires meas satis valere juveniles equidem optime intelligo; sed dissertatiuncula ista tantummodo nonnullas de morbo sententias curandique methodos collegisse breviterque adumbrasse juvabit. Ita igitur libellum velim Lector benevolus dijudicet.



HISTORIA.

Hydrophobia — ab ὕδωρ et φόβος —, hygrophobia, phobodipson, pheughydron, quae nomina ab ingenti aquae horrore, qui morbo correptos perfundit, originem ducunt, jam antiquissimis temporibus cognita usque ad aetatem nostram accuratissima diligentissimaque, ut morbum, quod attinet ad ejus naturam, noscant et certe sanent, medicorum studia fefellit. In Homeri Iliade VIII. 299. jam invenimus nomen canis rabidi. Hippocrates narrat de aegrotis, qui minimum strepitum horrescant atque aquam timeant, quos nominat phreniticos parvibibulos.

Polybius, qui aquifugas morbo laborantes appellat, citissime animam eos exspirare commemorat. Celsus autem, tum Galenus et praecipue Caelius Aurelianus morbi causam et naturam et varias sanandi methodos latissime perscripserunt. Celsus quidem de remed. L. V. c. 27 et Cael. Aurelianus de acut. passion. L. III. c. 25.

Excellentissimi vero nostrae aetatis scriptores sunt:

Boerhave, aphor. 1128—1147.

Greg. Ueberlacher, Diss. de hydrophobia. In Stollii dissert. Vol. II. p. 282—362.

Le Roux, über die Wuth, eine Preisschrift. Aus dem Franz. Tübingen 1795. S.

M. J. Mederer, Syntagma de rabie canina. Frib. 1783. S.

J. El. Rougemont, Abhandlung v. der Hundswuth. Aus dem Franz. v. Wegeler. Frankf. 1798. S.

Von der Bedeutung und Heilmethode der Wasserscheu, durch H. A. Göden. Breslau 1816. 8.

L. Wander a Grümoald, Diss. de rabie canina. Vienn. 1818.

J. C. Ribbe, Natur- u. medizin Geschichte der Hundswuthkrankheit bei Menschen u. Thieren. Nebst einer Vorrede v. J. E. Rosenmüller. Leipz. 1820. 8.

D. A. F. C. v. Saint-Martin's etc. Monographie der Hundswuth. Gekrönte Preisschrift, übers. v. D. Fitzler. Ilmenau 1824. 8.

D. Joh. Wendt, Darstellung einer zweckmässigen und durch Erfahrung erprobten Methode zur Verhütung der Wasserscheu nach dem Bisse eines tollen Hundes. Breslau 1824. 8.

Neue Erfahrungen und Impfversuche zur Aufklärung der Wuthkrankheit, besonders über ihre mögliche Fortpflanzung in der zweiten Generation. Von Prof. D. Berndt zu Greifswald. Im Journal der prakt. Heilkunde von C. W. Hufeland und Osann. Novemb. 1824. p. 39—88.

D. Urban's Behandlungsart der von tollen Hunden Gebissenen etc. Ibid. Jul. 1826. p. 1—38.

Ueber die durch den Biss eines Hundes veranlasste Wasserscheu etc. in Dr. Joh. Nep. Rust's Aufs. u. Abhandl. aus dem Gebiete der Medizin, Chirurgie und Staatsarzneikunde. Vol. II. pg. 306—442.

Lehrbuch der Nervenkrankheiten des Menschen von Dr. Moritz Heinr. Romberg. T. I. pg. 510—534.



Symptomatologia rabiei animalium.

Disseram solum de hydrophobia idiopathica, e morsu animalis rabiosi proficiscente, quae ab illa hydrophobia symptomatica, quam raro cernimus febres, inflammationes et chronicos nervorum morbos insequentem, et causa et symptomatibus et decursu satis discrepat.

Quum morbus solum in canum genere primarius inveniatur, a quibus in alia animalia atqué in homines potest deferri, diligenter nobis studendum esse arbitror, ut bene cognoscamus, quaenam sint canis rabidi signa pathognomónica. Itaque liceat mihi quaedam de morbo, quomodo in canibus et simul, quomodo in aliis animalibus videatur, disserere.

Tria in animalibus rabiei genera discerni possunt: rabies placida, rabies cursoria, (ut ita dicam) et rabies furibunda.

Quae sit causa morbi primaria in canibus, utrum victus pravus, frigoris atque aestus cita vicissitudo, morbi, qui antecesserunt, ut scabics, an impeditae functiones sexuales, quae posterior causa maximam habet probabilitatem (Wrisberg, von dem Bisse der tollen Hunde. In den Hannöv. Samml. Th. I. p. 377. — Greve, Erfahr. und Beobachtungen über die Kr. der Hausthiere in Vergl. mit den Kr. der Menschen. I T. Oldenburg 1818. II. T. 1821), multum est disputatum neque tamen dijudicatum.

Rabies placida. Saepe decem, viginti, vel quinquaginta diebus post animal morsu affectum alio atque

antea modo se gerere incipit, triste et iners ingreditur, appetitum ciborum amittit, cupiditas vero rerum talium animadvertitur, quae non sunt nutrimenta, exempli gratia lignum, corium, et ejusmodi al. Simul pertinax adest alvi obstructio, maxilla inferior quasi paralysi affecta dependet, ita ut omnia, quae animal devorare tentat, simul cum saliva ex ore pronant. Corpore valde macrescente animal semper fere in latibulo jacet, nec dominum novit, nec vocatum audit. Stimulatum solum et coactum surgit, caput et caudam demittens. Propter magnam praesertim extremitatum inferiorum imbecillitatem in eundo titubat atque in poplites subsidit. Quae extremitatum imbecillitas postremo in paralysin transit et post octo circiter aut decem dies animal convulsionibus necàtur. Animal plerumque tantum, si vexatur aut laeditur, mordendi cupiditatem ostendit. Canis rabie, quam nominavimus cursoriam, correptus, saepe, priusquam ulla in ejus habitu commutatio visa est, repente aufugit, lineam semper rectam tenens, capite et cauda depresso, omnia, quae in via occurrunt, mordet, donec subito corruit et convulsionibus obit. Oculi, quod jam cernimus in rabie placida, magis sunt rubefacti, crines hirsuti, lingua fusca aut nigra saliva spumosa obtecta.

Rabies furibunda maxime insignem hujus morbi imaginem praebet. Saepe quidem signa, ut magna inquies eo imprimis elucens, quod canis perpetuo aliud sibi quaerit latibulum, et alia, quae supra diximus, morbum praenuntiant; saepe autem hic subito ingreditur.

Omnia, quae in rabie cursoria et placida cernuntur, symptomata in furibunda ad gradum majorem provehuntur. Oculi valde rubefacti sunt, frontis cutis in rugas

contrahitur, maxima adest mordendi cupiditas, ut nec animalibus nec hominibus nec ipsi domino suo animal parcat. In rabie furibunda praesertim characteristicus ille sonus anxius brevi ululatu conjunctus, auditur. Eodem modo animal moritur.

Observationes diligentissimae satis docuerunt, hydrophobiam et caudae retractionem sub corpus, quod etiam nunc a multis affirmatur, signum rabiei constans et principale non esse. (Hertwig, Beiträge zur nähern Kenntniss der Wuthkr. und Tollheit der Hunde. Berlin 1829.)

In vulpibus rabiosis similia observantur symptomata. Maximam partem rabie placida laborant; tum e silvis in pagos et urbes, naturalem ab hominibus timorem negantes, quasi coecae intrant et postremo extremitatum paralysi et convulsionibus occumbunt. Vulpes rabie quoque furibunda correptas pecorum greges aggressas esse magnumque detrimentum morsu attulisse narrant. (Die Seuche unter den Füchsen und andern Raubthieren in den Jahren 1823—24 nebst Bemerkungen über die urspr. Wuthkr. der Thiere. Frankf. a. M. 1827.)

In felibus morbus ingentem provocat erethismum. Oculis fulgentibus, crinibus hirsutis et ore spumam perpetuo agente, modo mirabili huc et illuc prosiliunt, summo furore in omnia obvia se immittunt et valde periculosae sunt ob magnam agilitatem, et quod vi, quae vix potest superari, inimico adhaerent.

Constat, morsum lupi rabidi hominibus esse periculosissimum, quare permulti opinabantur, lupi virus esse intensius quam canis; hoc vero in eo situm esse videtur, quod lupi morsu ob atrocem animalis rapiditatem et robur majus producitur vulnus et membrorum destructio, virus

igitur vehementius latiusque corpori inseritur et difficilius est deletu. (Rust's Abhandl. T. II. pg. 343.)

In pecore plerumque rabies placida, raro furibunda et quidem in bobus observata est. Post dies viginti usque ad sexaginta in pecore morso infectionis symptomata apparent. Animal appetitum ciborum amittit, parum movendi cupiditatis habet et nonnunquam capite spasmodice retrorsum tracto mugitum anxium edit. Excretio alvi et urinae retardata, coëundi cupiditas interdum adaucta est. Die secundo aut tertio animalis tristitia accrescit, nihil edit, gregem relinquit, rostro iterum atque iterum gramen perreptat, regione lumbali magis magisque collabente.

Tertio die animal capite erecto et reflexo, vultu stupido atque auribus arrectis procumbit. Tantum abest, ut hydrophobia adsit, ut crebro animal aquam bibere cernamus. Die nono aut duodecimo paralysis extremitatum inferiorum accedit, et convulsionibus supervenientibus animal obit.

In ovibus et suibus rabies, cum iisdem symptomatibus apparens, celeriorem tantum habet decursum.

In equis morsu animalium rabidorum infectis permagna mordendi cupiditas et coëundi animadvertitur, simul priapismus, seminis fluxus involuntarius aliaque, quae jam enumeravimus, signa. —

Num verum sit an falsum, quod complures narrant, rabiem in avibus quoque visam esse, non dijudicaverim, quia accuratiores observationes et comprobationes non suppetunt.

Symptomatologia et decursus morbi.

Quum de morbo disseramus, nostrum est consilium

essentialia tantum symptomata referendi. Quatuor omnino stadia distinguenda videntur, stadium prodromorum, initii, vigoris et paralyticum.

Stadium primum. Plerumque morbus a septimo usque ad quadragesimum diem post infectionem invadit, quod quidem non constans et valde varium est, quum permulta probent exempla, non solum ante diem septimum, sed, quod intelligentiae nostrae vim rationemque fugit, post menses complures, vel aliquot annis post infectionem elapsis malum apparuisse.

Signa, quae morbi eruptionem praenuntiant, admodum fallacia sunt. Quum morbus terribilis unicuique fere notus sit, anxietas et horror morsum perfundunt, graviter animam afficiunt, appetitum et somnum auferunt, quod certe corpori quoque obnoxium existere elucet, ita ut medico experientissimo difficile sit distinctu, quaenam sint symptomata, quae morbo soli debeantur.

Morbi prodromi tum demum videri solent, si vulneris cicatrisatio incipit, vel jam perfecta est. Vulnus dolore afficitur, partes vicinae rubescunt. Idem observamus in cicatrice, quae nova saepe inflammatione aggressa dirimitur et in ulcus saniosum fungosumque marginibus introrsum flexis commutatur. Dolor simul et intumescentia membrorum affectorum comparet. Urban (l. c. pg. 10.) affirmat, se paulo ante morbi eruptionem circa vulnus aut cicatricem parvulas vidisse vesiculas exortas, liquorem partim coeruleum partim subrubicundum continentes. Vesiculae Marochettianae, quae ab utraque frenuli parte sub lingua in hoc stadio oriuntur, bene considerandae sunt, idque eo magis, quod majoris momenti sunt, quod attinet

ad hydrophobiae curam prophylacticam, quam postea latius exponemus.

Aegrotorum animus valde est immutatus, moeror, sollicitudo, inquies, lassitudo eum afficiunt; magna virium prostratio, agrypnia et somnia admodum horribilia animadvertuntur, interdum vertigo quoque; oppressio in regione epigastrica, vomitus, oppressio pectoris, palpitatio cordis. Facies est pallida, oculi rigentes et splendidi lucem fugiunt, appetitus ciborum deficit, alvi pertinax obstructio adesse solet. Pulsus invenitur parvus, frequens, interdum intermittens, cupiditas coëundi adaucta. Quae enarravimus symptomata, ad minorem vel majorem gradum evecta, aliquot diebus morbo manifesto antecedunt.

Stadium secundum. Symptomata characteristica, quae morbi initium indicant, vehemens in faucibus ardor, maxima sitis, attamen ingens bibendi fuga sunt. Omnis liquor aegroti fauces et laryngem constringit, et quodque bibendi conamen statim pectoris oppressionem quam maximam et convulsiones provocat. Symptomata simul, quae antea enumeravimus, magis magisque accrescunt.

Stadium tertium. Hydrophobia tantopere adaucta est, ut non solum bibendi, aut salivam glutiendi conamen, sed vel conspectus aquae et rerum pellucidarum, strepitus etiam corporum sonantium aliquorumque fluentium, ipsum verbum aqua pronuntiatum, si audit aegrotus, vehementissimas convulsiones efficiant. Paroxysmi occurrunt, in quibus maniacorum more aegrotus se gerit, sonos edit feroces ac lugubres, oculos habet splendidos et distortos, membra vehementissime jactat, magna vexatur cupiditate omnia destruendi, et homines, qui ad eum accedunt, conspuendi vel mordendi, dum saliva spumosa

sine intermissione ex ore ejus proruit. Coëundi cupiditas valde accrevit, ita ut priapismum, involuntarias seminis ejaculationes, satyriasin et nymphomaniam ipsam in aegro observemus. Paroxysmo finito sui conscientiam recuperat, eorum, quae fecit, taedio afficitur; fletus et tristes querelae moestam ejus animi affectionem indicant; precatur, ne homines ad se propius adeant. Spasmi, qui plerumque sunt tonici atque omnes tetani varietates exhibent, magna corporis et animi commotio aegroti vires mox exhauriunt.

Stadium quartum. Paroxysmi crebrius ingredientes diutius durant, vires celeriter conficiuntur, spasmi tonici in convulsiones perpetuas transeunt, saeviendi conamina excipiuntur a deliriis blandis; pulsus fit inaequalis atque intermittens, et convulsionibus vehementissimis intrantibus, aut suffocatione aut apoplexia secundo vel tertio hujus stadii die aegrotus vita defungitur.

Sectio hydrophobia defunctorum.

Sectiones saepissime et diligentissime institutae nil certi, quo morbi natura clarius eluceat, nobis attulerunt. Plerumque fauces, larynx, oesophagus, trachea et tunica ventriculi mucosa rubefacta inveniuntur. Cfr. Bader, Versuch einer neuen Theorie der Wasserscheu. Leipzig 1792. pg. 18. Morgagni, de sedibus et causis morb. Ep. VIII. Art. 25. Darluc, sur la rage et sur la manière de la guérir im Journal de Méd. T. III. et IV. pg. 182 et 258. Rust's Abhandl. T. II. pg. 325.

Omnes corporis partes, praesertim musculos putredine citius corripi affirmatur. Sanguis valde aquosus et dissolutus observatus est, quare non coaguletur atque id

fit dilucidum, musculos et cor hydrophobia defunctorum valde rubefactos, sicuti non solum telam cellulosam, quae nervos circumdet, sed etiam telam cellulosam sub cute helvine esse tinctam. (Krukenberg in Rust's Magazin T. XX. pg. 164.)

Rust (Abhandl. T. II. p. 326), Sauvages atque alii gangraenae vestigia in ventriculo et intestinis invenerunt; aliis neurilema et ganglia nervorum cervicalium, nervi vagi, symptomatici et phrenici inflammata esse videbantur. Lalouette (Andry's Untersuchungen über die Wuth nach dem Bisse toller Hunde. A. d. Franz. Leipz. 1785. pg. 380.) se cerebrum condensatum et compactum, fere exsiccatum, alii contra (Rossi in Römer's Sammlungen medizin. Abhandl. 1805. — Fuchs in Rust's Magazin. T. XXVIII. pg. 518 et 525) cerebrum, medullam spinalem, et nervos molles et pulti similes se reperisse contendunt. Laennec (in Froriep's Notizen. V. X. pg. 107.) et Brandreth (ibid. pg. 311) commemorant, se vasa membranarum cerebri sanguine dissoluto valde oppleta et serum sub membranis reperisse. In cicatrice sugillationes et nervorum ibi sitorum inflammatio visae sunt. (Rust's Abh. T. II. pg. 324.).

Aetiologia.

Quamvis constet, virus in canibus rabidis ortum proximam morbi causam esse: tamen de eo qualis sit modus intoxicationis, quaenam veneni natura, quid de morbi ipsius natura sit censendum, tam varia quam partim contraria medici obtinuerunt, ita ut omnino nil certi exploratum habeamus. Solum in canum genere morbus primarius

invenitur, a quo in animalia alia atque homines viri infectione transferri potest.

Hocce virus autem non solum in morbo manifesto, sed in primo etiam ejus stadio, ubi nulla adhuc rabiei signa exstiterint, efficax esse satis probatum est. Immo, quum complures observarint, quibus omnino confidendum est, dubitari non potest, quin etiam morsu animalium irritatorum, imprimis in coitu ipso impeditorum, vel anatum et gallorum excitatorum, hominum quoque iratorum magnaque libidine perturbatorum, morbus ille atrox provocari possit, quamvis nec tum nec postea in illis ipsis ullum rabiei aut hydrophobiae signum apparuerit. (Martini Lister, tractatus de quibusdam morbis chronicis etc. Genevae 1696. pg. 43. — Reveillon, Hist. de J. S. R. de Méd. 1783. pg. 17. — Weikard, phil. Arzt. 4 St. pg. 186. — Gallet, Hist. de la S. R. de M. 1783. II part. pg. 59.)

Quibus partibus venenum inhaerescat, utrum salivae soli, muco oris, sanguini et glandulis salivariis, an aliis quoque partibus, de eo plurimi inter se dissentiunt. Salivam et mucum oris vim inficiendi habere satis cognitum, num vero aliis quoque partibus insit, incertum est, quamvis praesertim in vulpibus rabiem eo oriri obtineatur, quod carnem pecorum rabie defunctorum comedant. Morbum autem non solum a cane rabioso, sed etiam ab animalibus aliis, quae canum morsu infecta sint, in homines transferri posse, ab hominibus iterum in animalia, ex multis, quae fecerunt Berndt, Hertwig et Magendie veneno inoculando experimentis, satis elucet: unde simul probatum est, non morsum, ut hydrophobia provocetur, opus esse, sed id jam fieri, si modo locum epidermide

carentem venenum attingat. Venenum esse fixum, diu vim inficiendi retinere, si rebus inhaereat aëris tactu interclusis, nunc omnes fere consentiunt. De dispositione parum tantum cognitum habemus: magnam eam non esse, majorem autem in canibus quam in hominibus veri est simile. Liceat nunc referre, quid scriptores de ratione, qua venenum efficax sit, quasnam potissimum partes afficiat, quid de morbi ipsius natura in lucem protulerint. Jam Galenus et Asclepiades sententiam promulgarunt, hydrophobiam esse inflammationem, quae praecipue in oesophago et ventriculo versetur. Alii pharyngis, alii pulmonum inflammationem veneni infectione provocari, unde cetera morbi symptomata proficiscantur, affirmarunt. Mease hydrophobiam passionem esse dynamicam, cum asthenia directa conjunctam ait. Hufeland (Syst. d. prakt. Heilkd. II. B. 2. Abthl.) venenum imprimis vim in nervos exercere, spasmum et stricturam pharyngis atque oesophagi, unde propria illa organorum deglutitionis symptomata oriantur, producere arbitratur. Goeden (v. d. Bedeutung u. d. Heilmeth. der Wasserscheu. Bresl. 1816.) nervos splanchnicos et medullam spinalem, Haase omne systema nervorum et pharyngem inflammatione correpta morbum ipsum efficere docuerunt.

Berndt sententiam pronuntiavit, venenum in vulneris substantiam organicam et quidem localiter vim exhibere, quod et ex morbi evolutione et decursu et cura illa prophylactica, quam experientia optimam aptissimamque monstravit, satis patefiat. Omnem vulneris substantiam affici et specificam granulationis commutationem produci, quo primum morbi semen ponatur, quum demum vulneris cicatrisatione incipiente vel jam perfecta morbus oriatur,

completa vero vulneris destructione morbus etiam tum amoveatur, quando secundum physiologiae doctrinas veneni resorptio jamdudum facta sit neque hoc modo veneni exstinctio exspectari possit, oporteat. Hanc propriam in vulnere vitalem affectionem localem manere, donec rebus externis incitamentum in vulnus aut cicatricem exerceatur, quo tandem impulsus in nervorum systema reproductivum atque inde in omne nervorum systema oriatur, ita ut sententiae possimus accedere, pseudoformationem, quae in saliva manifesta fiat, et intoxicationem nervorum systematis effici.

Quum omnia, quae de morbi natura medici doctissimi tradiderint, contemplemur, apparet quidem, hydrophobiam nervis praecipue insidere, atque eximia symptomata magis ex laesione nervorum dynamica quam ex vitio atque anomalia vegetativa, aut cerebri aut organorum aliorum pendere, omnino tamen nondum in lucem clariorem redactum esse, quo modo id fiat, et quinam nervi potissimum sint affecti.

Prognosis.

Quum multa medicorum morbo medendi studia eorumque successum infaustum respiciamus, atque qui morbum jam exortum se sanasse affirmarint, iis confidendum non esse fateri debeamus: morbi manifesti prognosis omnino pessima nominanda est. Prophylaxin autem certam cognovimus, et cura prophylactica recte tantum et considerátius instituta, hydrophobiae eruptionem nos impedituros esse exspectare possumus.

Therapia.

Quotquot methodi et rationes hujus morbi atrocis sanandi, atque arcana, quae maximam partem, quum ne minimum quidem attulerint auxilium, vix patefacta statim jam neglecta in oblivionem venerunt, commendata sunt: postremo tamen medici sibi persuaserunt, curam quam dicimus rationalem eo minus esse instituendam, quia adhuc natura morbi illustratione atque accurata cognitione careat, et cura solum, quod experientia multum ostenderit, prophylactica recte in usum vocata morbum prohiberi posse, morbum vero jam exortum omnes sanandi conatus eludere.

Cura prophylactica.

Dividitur in externam sive topicam et internam sive universalem, quarum illa multo majoris momenti est. Si qui cura interna sola se opem tulisse volunt, certe in dubium vocandum est, num morsus ab animali vere rabioso illatus sit. In omnibus igitur casibus, quibus non satis intelligi potest, animal vera rabie laborasse, cura, quam statim disseremus, instituenda est bene ratione habita, morsum certae morti objici cura topica neglecta, si animal, quamvis certe cognitum non sit, tamen rabiosum fuerit. Prima indicatio est, ut venenum in vulnere et in ipsa cicatrice, si jam perfecta est, plane exstinguamus. Considerata et perfecta vulneratae partis excisio, quod multi e. g. Tissot (1), Bell (2), Dupau (3), John

---

(1) Anleitung für das Landvolk in Absicht auf seine Gesundheit, aus dem Franz. Augsburg 1766. pg. 212.

Hunter (1) et Rust (2) commendarunt, optima huic indicationi satisfaciendi methodus probata est et applicationi ferri candentis in vulnus, quam complures, nostro aevo maxime Berndt, laudaverunt, praeferenda, quum sub crusta sicca ferro candenti producta venenum aliquot dies remaneat, et priusquam suppuratione mox exorta ejiciatur, timendum sit, ne magna ejus pars a venis et vasis lymphaticis absorbeatur. (Rust's Abhandl. T. II. pg. 340.) Si vulnus recens est, excisio sola et suppuratio sufficiunt, quam per longum tempus idoneis remediis, uti unguento Elemi, digestivo pulvere Cantharidum, Mercurio praecipitato rubro ejusmodique aliis, quae cuique casui conveniant, continuare debemus. Sin vero vulnus non est recens, vel jam ad cicatricem pervenit, postquam excisione facta satis sanguinis e vulnere profusum est, Kali causticum (gr. 30 c. libr. I aq. commun.) in vulnus applicari oportet, et tertio vel quarto insuper die Rust solutionem Kali caustici valde concentratam vel ipsum ferrum candens in vulneris fundum adhiberi, atque insequenti suppurationi crustae dejectionem permitti vult. Eadem cura tum quoque instituenda est, si in aegroto initio neglecto morbi prodromi jam apparent. Quum interdum ob laesiones multas atque ingentes, et propter periculum, ne partes ad vitam servandam necessariae excisione destruantur, curam, quam descripsimus, in usum

---

(2) Lehrbegriff der Wundarzneikunst. Aus dem Englischen Leipzig 1794. T. IV. pg. 185.

(3) Journ. de Méd. 1789. T. LXXX. pg. 342.

(1) Transactions of a Society of Med. and. chir. Knowledge 1793. Vol. I.

(2) Abhandl. etc. T. II. pg. 338.

vocare non possimus, Mederer alteram edocuit methodum, quae saluberrima comprobata est. Vulnere dilatato et scarificato diligenterque abluto Kali causticum, ut supra meminimus, adhibetur.

Si propter situm partium laesarum aut magnam earum destructionem, ita ut membra quaedam plane dilacerata sint, cura, quam Mederer praescripsit, institui non potest, solum et ultimum auxilium affert membrorum illorum amputatio.

Liceat mihi nonnullarum sanandi methodorum aliarum, quae partim veneni ablutionem, partim commutationem et destructionem respiciunt, mentionem facere. Veteres et cucurbitis cruentis et hirudinibus multum sanguinis e vulnere emiserunt. Aliis placuit vulneris exustio pulvere pyrio, aliis moxae usus, alii suaserunt vulnus ope succi gastrici recentis purgandum (Percival), frictiones oleorum et adipis in vulnus et partes vicinas instituendas (1). Majoris momenti et commendatione digniora sunt Butyrium Antimonii, cujus applicationem Le Roux (2) et Schallern (3), et acidum sulphuricum, cujus usum Zeidler (4) edocuit.

---

(1) Pouteau et Nugent. vid. Dict. des scienc. méd. T. XLVII. pg. 105.

(2) Ueber die Wuth. Aus dem Franz. 1795. pg. 133.

(3) Anweisung der Hundswuth auf eine durch lange Erfahrung erprobte Weise sicher vorzubauen und sie zu heilen. Baireuth 1824.

(4) Bemerkungen und Erfahrungen über die Anwendung der konzentrirten Schwefelsäure nach Verwundungen durch den Biss mit der Hundswuth behafteter Thiere. Rust's Magazin, Vol. XXXVIII. pg. 261. — 1832.

Wendt optimo successu se pulverem Cantharidum in vulnus inspersum adhibuisse refert. Methodi, quas Schneemann (1) et Urban (2) promulgarunt, item salubres se praebuerunt. Maximi momenti est cura vesicularum Marochettianarum, de quibus jam antea locuti sumus. Circa diem tertium, quintum, septimum, undecimum, tredecimum, vicesimum primum atque etiam serius in morso ab animali rabioso sub lingua ab utraque frenuli parte una aut complures oriuntur vesiculae, quae plerumque magnitudine lentis, pellucidae et fluctuantes, interdum autem colore fusco et quasi nodosae inveniuntur. Anxietas, oppressio pectoris aliaeque valetudinis perturbationes earum eruptionem praesagiunt, qua facta omnino recedunt. Post viginti quatuor aut quadraginta et octo horas vesiculae evanescunt aut pellucidae commutantur in opacas magisque consistentes.

Marochetti contendit, has vesiculas in omni ab animali rabioso morso apparere et venenum efficax continere, quod brevi tempore resorbeatur, metastases ad cerebrum et nervos faciat atque hydrophobiam procreet. Si vero in primis quadraginta horis vesiculae excidantur, contentum providenter abluatur, et locus affectus ferro candenti exuratur, morbum certe propulsari affirmat. Simul decoctum aut pulverem summitatum genistae luteo-tinctoriae adhibendum praescribit. Licet multi hanc sententiam ut falsam rejecerint, quum vesiculae non semper cernantur, responderi potest, vesiculas tum non apparere, quando

---

(1) Ueber die Verhütungs- u. Heilkur der Hydrophobie etc. Augsburg 1825.

(2) Hufeland's Journ. 1826. T. LXIII. I St pg. 11.

aut vulnus veneno non inficiatur, aut receptivitas in morso non adsit, aut postremo apta cura locali venenum jam in vulnere exstinguatur. Observationes contra plurimae sententiam illam veram curamque optimam probarunt, quare inspectio regionis sub lingua in morso aliquoties per diem, et vesiculis animadversis cura illa in usum vocanda est, tum quoque, si vesiculae jam opacae reperiantur, et conjecturam permittant, veneni partem aliquam jam resorptam esse, quum hoc ipso casu illa cura auxilium latum esse experientia evincat.

Multa medicamina interna, quae quisque partim experientia edoctus saluberrima, partim secundum morbi naturam efficacissima opinabatur, medici commendarunt. Prae ceteris Hydrargyrum et inunctionibus et interne adhibitum summopere laudatur, quum praesertim salivationis organa, quae in hydrophobia quoque commutata videamus afficiat. Jam saeculo septimodecimo (Histoire de l'Academie des Sciences, Ann. 1699. Nro. 57) Hydrargyrum in hydrophobia administrabatur. Aegroto quavis quarta hora gr. dimid. ad unum Calomel. porrigitur simulque Ungt. Hydrarg. ciner. scrup. unus aut Dr. dimid. vicissim in extremitates, primum in partes laesas infricatur, donec inde proficiscatur salivatio, quae aliquod tempus accommodatis Calomel. dosibus continuanda est.

Belladonna eximium medicamen a Münchio (1) pronuntiatum est, quam Hufeland multique alii postea

---

(1) J. H. Münch, Anwendung der Belladonna bei den Menschen. Stendal 1789—1795. —

B. F. Münch, prakt. Abhandl. von der Belladonna etc. Gött. 1795.

tentarunt et valde efficacem cognoverunt. Secundum Münchii praecepta optime adhibetur.

Cantharides jam priscis temporibus commendatae, nostro aevo potissimum a Rustio et Werholffio laudatae sunt, qui maximo iis successu utebantur, non solum ad morbum prohibendum, sed etiam prodromis morbi jam conspectis. Cantharides et porriguntur purae et cum Camphora et Hydrarg. muriat. mit. conjunctae. Rust praescripsit:

Rec. Pulv. Cantharid. gr. j.
Lapid. cancrorum
Sacch. alb. aa gr. vj
M. f. pulv. Dentur tal. dos. Nro sex
S. Bihorio pulvis sumatur.

Quae cum sint quidem medicamina longe praestantiora, aliorum quoque nostro tempore minus usitatorum mentionem faciam, scilicet Liquoris Ammonii caustici, Moschi, Opii, Asae foetidae, Aquae laurocerasi, Valerianae, Meloës majalis et proscarabaci, Alismatis Plantaginis (radicis), Decoct. Herbae Scutellariae lateriflorae, Taxi baccatae, Anagallidis arvensis, sanguinis animalium recentis, aut ipsorum, quae morsum attulerunt.

Diligentissime quidem et satis mature adhibita prophylactica cura, tamen hydrophobiam erupisse et omne medicorum sanandi studium fefellisse interdum observatum est; at plurima tamen exempla probarunt, cura illa recte instituta sperari posse, fore ut morbus avertatur, praecipue curam topicam, et quam primum possit, in usum vocandam esse, quum ea maxime bonus eventus nitatur.

Cura morbi manifesti.

Apertum quidem est, morbum manifestum fere semper exitum lethalem habere, neque ullum medicamentum, quotquot etiam omni tempore sint pronuntiata, multum et saepe profuisse. Eo magis haec remedia in usum vocanda sunt, quae saltem aliquoties bonum habuerunt successum, quamquam negari non potest, iterum atque iterum diligentissime adhibita nil adjuvisse. Quum nullum habeamus medicamen, quod praestantissimum se praebuerit, atque in majorem aegrotum conservandi spem nos possit inducere, referemus solum de iis, quae efficacia cognita ideoque nostra aetate maxime usitata sunt; quodnam vero casui cuilibet respondeat, cuique discernendum permittere debemus.

Fere omnia, quae curae prophylacticae internae attribuimus, medicamenta hic quoque adhibenda sunt, et quidem dosi largiore plerumque porrigenda. Complures, (Münch, Tode) rati, quod e spasmis et convulsionibus satis eluceat, morbum praesertim in systemate nervorum sedem habere, Narcotica et prae ceteris Belladonnam, Opium, Stramonium valde laudaverunt, et medicaminibus illis quovis bihorio gr. jj—vj adhibitis morbum manifestum nonnumquam se depulisse affirmarunt. Nec minus Hydrargyri usus, cui magnam vim in morbo prohibendo inesse antea exposuimus, negligendus est.

Sauter suadet gr. jjj. pulveris foliorum Belladonnae aut Stramonii porrigenda, quum sudores, qui mox insequantur, ad morbum solvendum saluberrimi sint. Aliis, qui hydrophobiam praecipue affectionem inflammatoriam opinabantur, methodum antiphlogisticam graviter et inten-

sive adhibere placuit. Venaesectiones commendant multas, iterum atque iterum usque ad lipothymiam instituendas; simul porrigunt purgantia, imprimis Hydrarg. muriat. mit., cataplasmata frigida ad caput applicant et superfusiones frigidas faciunt. Quae methodus autem tum solum in usum vocanda nobis videtur, ubi aegrotus habitum fortem et plethoricum praebet, ac magna vasorum excitatio et eximia ad cerebrum congestionis symptomata cernuntur. Sin vero systema nervorum praesertim affectum est, quod convulsiones eximiique dolores indicant, Narcotica, quae supra nominavimus, praeferenda putamus. Nonnulli Moschum, Camphoram variaque Ammonii praeparata laudant, imprimis autem Cantharides, quibus Rust optimo successu in omnibus Hydrophobiae stadiis usus est. Facile est intellectu, fore ut eandem ob causam ac Hydrargyrum Cantharides in Hydrophobia efficaces sint, nos sperare posse, quum morbo symptomata similia, scilicet priapismum, satyriasin, convulsiones, tetanum vel hydrophobicas ipsas affectiones magna dosi porrectae in sanis provocent, nequaquam vero in hydrophobia laborantibus; atque experientia omnino docuerit, venenis, exempli gratia Opio in Delirio trementi, atque aliis medicaminibus in morbis, quibus mederi valeant, dosi largiore adhibitis nulla fere intoxicationis signa apparere, etiamsi tanta praebeantur dosi, quanta sanum certe occidi oporteat.

Magendie (1) contendit, se aqua tepida in hydrophobici cujusdam venam infusa morbi symptomata brevi tempore depulisse, quod alii quoque observarunt, si san-

---

(1) Rust's Magazin. T. XVI. pg. 478 et Froriep's Notizen T. VI. pg. 345.

guinis transfusionem fecerant. In omnibus, quaecunque velis, medicamentis internis adhibendis cave, ne vulnus, cui tum plerumque jam cicatrix inducta est, negligas; statim potius excisio completa; et hac facta gravis ferri candentis applicatio in vulneris fundum instituenda, omninoque eo modo, quem de cura prophylactica agentes disseruimus, agendum est. Hildebrand (1) ut ferrum candens non solum in vulnus ipsum, sed in alias quoque corporis partes applicetur suadet, quum ferro candenti in regione parotidis applicato eodem fere momento hydrophobiae symptomata evanuisse expertus sit.

Quod jam in cura prophylactica studere debemus, scilicet aegrotantis animo anxietate et tristitia valde perturbato tranquillitatem atque hilaritatem reducere, quum ei persuadeamus, canem, qui morsum intulerit, rabiosum non fuisse, vitae igitur periculum non adesse, neque quidquam posse inveniri, quod animum in cogitationibus tam tristibus quam falsis defixum habeat, idem in morbo manifesto maximi est momenti. Tantum absit, ut, quod saepissime fieri valde dolendum est, aegrotum ab omni hominum societate amoveamus, atque in vincula conjectum in cubiculum carceris instar instructum includamus, atque ita de salute sua jam desperanti ultimam spem auferamus: ut omni, quo possit fieri, modo aegrotum malum celemus et sublevemus. Omnia, quae eum irritant et paroxysmos illos atroces provocant, e. gr. strepitus, sonus, res pellucidae, atque ii quoque homines, qui partim videndi cupiditate, partim misericordia ducti ad aegrum accedere velint, animique perturbationem et moerorem deplorationibus adaugeant, removendi nec vincula aliaque adhibenda sunt, quibus aegrotis patefaciamus periculum et detrimen-

tum, quod aliis possint inferre. Lenitas atque humanitas multo majorem vim in aegrotos exercent, quam coërcitionem inhibendi conatus, qui aegrorum furorem potius excitant quam sedant. Nostrum simul est, animum aequum perpetuo praebere, aegrotantem consolari atque in spem inducere, fore ut, dummodo tranquille et libenter omnia, quae sint necessaria, patiatur, bonus eventus certo sequatur.



V I T A.

Paul. Lud. Guilelmus Mueller, ecclesiae catholicae addictus, patre Guilelmo, matre Margaretha e gente Luecke, quos superstites pio gratoque animo veneror, die XXVI mens. Martii anni MDCCCXIX Monasterii natus sum. Primis literarum elementis eruditus, gymnasium, quod domi Directore Cel. Nadermann florebat, per septem annos frequentavi. Examine pro maturitate rite superato, autumno a. MDCCCXXXVII in civium Academiae Monasteriensis numerum a Rectore Magnifico Ill. Beat. Schlüter receptus, philosophiae studiosis ab Ill. Esser, philosophorum t. t. Decano, adscriptus sum. Scholis interfui hisce: Ill. Esser me docuit logicen et psychologiam; Beat. Roling physicen, astrognosiam, atmosphaerologiam; Cel. Becks zoologiam, mineralogiam, geognosiam, botanicen, quem eundem praeceptorem in excursionibus botanicis sectatus sum; Cel. Schmedding chemiam.

Eodem tempore etiam praelectiones, quae in instituto Reg. medico-chirurgico habebantur, audivi:

Ill. Tourtual de anatomia generali ac speciali, de cadaverum rite dissecandorum arte; Ill. Haindorf de physiologia; Cel. Wirthensohn de pathologia et therapia generali; Exp. Bernay de diaetetice.

Tempore paschali a. MDCCCXXXIX in almam Frider. Guilelmam Rhenanam me contuli, quae tum Rectore Magn. Ill. Mayer florebat. Praelectionibus interfui hisce:

Ill. Mayer et Weber de physiologia; Ill. Nasse de anthropologia; Ill. Wutzer de anatomia chirurgica; Ill. Naumann de pathologia ac therapia speciali.

Inde autumno a. XXXIX h. s. universitatem Fridericam Guilelmam Berolinensem Rectore Magnif. Ill. Twesten adii, et hisce Viris Illustrissimis, Doctissimis praeceptoribus per tres annos et dimidium usus sum:

Ill. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum, de anatomia pathologica, qui idem in arte cadavera rite secandi sicuti Ill. Schlemm dux mihi fuit; Ill. Hecker de pathologia generali, de encyclopaedia medica; Ill. Beat. Rust de chirurgia universali et speciali; Cel. Mitscherlich de materia medica; Cel. Kluge de arte obstetrica theoretica et practica, de fracturis et luxationibus; Ill. Wagner de medicina forensi.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis interfui Virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum Wolff, Juengken, Romberg.

Ut rei publicae legibus satisfaciam, nunc duce Cel. Eck per annum chirurgi militaris munere fungor.

Illis omnibus praeceptoribus summe colendis ac plurimum de me meritis ea, qua par est pietate gratias quam maximas ago habeboque in perpetuum.

Jamjam absolutis tentaminibus et philosophico et medico, atque examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superato, spero me, dissertatione ac thesibus publice defensis, summis ornatum iri medicinae et chirurgiae honoribus.



THESES.

1. Oculus Semiotices uberrimus fons.

2. Synchondrotomia in arte obstetricia nullo fundamento nititur.

3. Principium in nervis agens a vi electrica plane differt.

4. In curandis virginum morbis nuptiae saepius praestant medicamentis.

5. Pus nonnisi inflammatione formatur.

